



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

40. Tripolum herba, tertio quotidie colorem mutat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

(211)

S Y M B O L U M 38.

Tria in latere

Aqua, argilla, ignis.

**N**on patitur Triadis, later hæc arcana latere,

Eruit e latebris, clariùs inde micant.

Constat aquâ later, argillâ, lapis ustus & igne:

Jam Monas atque Trias, quæ latuere, patent.

Arte rudi Nicolae doces, mollique labore

Arrianorum pectora dura domas.

N. S. Nicolaus in Concil. Nicæno contra Arrianos Trinitatem defendit arrepto latere dicens: tria in hoc diversa sunt; aqua, argilla, ignis, & non nisi unus later. &c.

S Y M B O L U M 39.

Tres plicæ ejusdem vestis seu togæ.

**P**lurima terrigenæ sunt sensibus obvia nostris,

In quibus una Trias, tria Monasquæ datur.

Contemplare togam nostræ quæ molis amictus;

Unius & Trini symbolon hæcce Dei.

Trinus Personis, immultiplicatus in Esse,

sic eadem numero, sed tri-plicata, toga.

S Y M B O L U M 40.

*Polium seu Tripolium, alias turbit, herba est in locis marinis na-*

*cens quæ undâ alliduntur, colorem florum quotidie mutat, ma-*

*ne in candidum, meridie in purpureum, vespero in puniceum.*

*Plin. lib. 27. cap. 7.*

**M**agna Trias modicâ voluit sub fronde videri,

A Mauris Turbit nomen habere ferunt.

-MY2

Candet

Candet ubi niveam sol tollit ab æquore frontem,

Lucis, at hunc medio purpurat orbe, Pater.

Punicos sumit declivi lumine vultus,

Firma Trias moto cuncta sub axe, movet,

S Y M B . 41. de eodem.

**Q**ualibet ut polium mutat ter luce colorem  
Fixa manens, variat tempora nostra, Trias.

Esse, fuisse, fore, humanæ sunt tempora vitæ,

Semper ut & Trino competit Esse Deo.

Quod fuit, est, & erit, Triadis peragantur honori,

Nil alias prodest esse, fuisse, fore.

S Y M B O L U M 42.

*Trimyxa, id est, lucerna tribus lucens ellychnijs*

**Q**uam densis humana jacet mens mersa tenebris?

His tamen arcendis ecce lucerna Trias.

Hec circum-rutilis defertur quaque caballis,

Emicat in myxis unica flamma tribus.

Tot circumfusis erroribus atque tenebris

(a) Sis laterna viæ, Duxque trimyxa Trias.

(a) Non extinguitur in nocte lucerna mea, luceat semper, & ardeat, ut quemadmodum decet filium lucis, ambulem; & cum veneris ac pulsaveris, confessim aperiam tibi.

S Y M B O L U M 43.

*Triophthalmus Lapillus qui in Sicyoniâ nascitur, trium oculorum effigiem præse ferens. Plin. lib. 37. cap. 11.*

**E**cce Triophthalmo Trias effigiata lapillo;

Hic Sicyonio nascitur orbe lapis.

Tres oculi signent discrimina Personarum,

(a) Unio at unitas in Deitate refert.

I i

Non-